

Umg.


VI 83




~~RAMIS~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VI-83. VITEBERG.

SIGNAT. CLIOCCCXIII.





6

JESU BONE FAVE!
DISPUTATIO METAPHYSICA
S E X T A,
SUMMARIAM DECISIONEM
CONTROVERSIARUM
D E

Uno, Vero & Bono,

Occurrentium,

Exhibens,

quam

In florentissimâ Leucoréa,

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS BAYERI, Epe-
riesino Hungari,

Publicæ Philosophantium limæ

submittit

MARTINUS LINCKIUS,

Lubecensis,

In Auditorio Majori

Ad diem 27. Octob. horis Pomeridianis,

ANNO M DC LVIII.

Typis MICHAELIS Wende.

7228 Bonn Babel
DISTRIBUTIO METAPHYSICA
TEXTVS
SUMMARIAM DECISIONEM
CONTROVERSIARUM
D. A.

Uno, Vero & Bono,

Composita
Exhibens
quas
in forensibus lectionibus
1744 Parisiis
M. JOHANNIS BAYERI, Episcopi

Magistri
Publici Professoris
MARTINUS LINCKIUS,

Libeccensis
in Academia
ad hunc 27. Octob. hujus Promovendus
ANNO M DC LXXII
PUBLIUM LIBRARIUM
The MICHAELE BUCHER










J. B. F.



Essentia rei cuiusq; , radix est & scaturigo, multarum perfectionum. Fluit ab illa Unitas, fluit Veritas, fluit Bonitas, & quid non? Insensibilis tamen fluxus ille est, nec nisi mente sagaci contuendus. Fluunt ex Essentia & in Essentia tamen permanent, dubium Comites an Pedissequæ. Promanant sine ordine omni, ordinatè tamen ac harmonicè. Agmen ducit Unitas, hanc Veritas, utramq; Bonitas insequitur. Sequuntur tamen ac præcedunt se se mutuo, non nisi juxta concipiendi modum nostrum: Ubi interim res ipsa non prius Una est, quàm Vera aut Bona. Statim atq; concipitur rei Essentia, videndum est, ut fixa stet mens, nec distrahatur in conceptus varios, atq; distorqueatur miserè. Scopas enim dissolutas quis ferat? ex in de prima cura est mentis, uti rem quam concepit, nôrit esse Unam, hoc est essentiam habere nodo quasi atq; circo vel si ma- vis puncto indissolubili ita compactam atq; conclusam, ut si vel minimum ipsi addas aut demas, pereat totum esse. Secunda abhinc cura est, ne specie fallaci ludatur animus, pro veris falsa comprehendens. Dispiciendum ergò habeat, ne res taliter concepta eam quam habere debet essentiam & naturam, num verò imponat solùm sub auri fucato schemate, aurichalcum ventitando. Succedit deniq; iudicium de Congruentia essentiæ ad rem, hoc est proportionem, atq; amicabili & harmonica dictæ essentiæ cum natura rei debita conspiratione, mutuâq; insinuatione. Quo in respectu Tractatio subsequa aget primum de Uno, post de Vero, ac tum de Bono.

DECISIO I. DE UNO.

UNITAS, non per accidens, sed per se, eaq; non præcisè Singularis, Universalis, Formalis, multò minùs quantitativa, sed Transcendentalis explicatur per *Indivisionem in se* addita à non paucis, *Divisione ab aliquocunq;*. Unum igitur in *Recto*, est Ens ipsum Unitate insignitum: quid sit in *Obliquo*, seu quid sit *Unitas* ipsa non æq; constat omnibus. Fiet verò liquida res, si, quid *Unitas* Enti superaddat, & qua in re seu conceptu formaliter consistat, observatum fuerit. Ex nostra sententia.

1. Unum non addit supra Ens. *Accidens quoddam positivum, ex natura rei distinctum ab Ente, Per se tamen concomitans & consequens omne Ens:* quæ sententia Avicennæ tribuitur lib. 3. *Metaph. c. 2. & l. 7. c. 1.*

2. *Nec aliàs etiam aliquid positivum ex natura rei ab Ente distinctum.* Secus atq; putant Scotus & Scotistæ, uti videre est apud Joh. Lalemandet. disp. 2. *Metaph. Part. 2.* Ex Meurissio lib. 2. *Metaph. c. 3. l. part. q. 1. itemq; apud alios.*

3. *Neg. Negationem:* uti communiter volunt Thomas & post eum Ægidius Romanus, Cajetanus, Javellus, Flandria, Jandunus, Sonzinas, Fonsæca, Svaretz, Raconis, & alii passim citati. Arriaga item, Franc. B. Spe. Melchior Cornæus, Gilbertus Jacchæus, Paulus Voëtius, Henningus Arnifæus, Combachius, Stahlius, & alii: Qui tamen adhuc dissident inter sese, aliqui enim puram putam & simplicem negationem hîc intelligunt; alii eam explicant per modum privationis latè dictæ; alii loquendo tantum de Entibus simplicibus, eam putant esse nudam negationem; alii loquendo tantum de Entibus simplicibus, asserunt hic dari negationem per modum privationis; alii ut B. Spei Ægidius Romanus aliiq;, modum planè non exprimunt, alii omnes istas Sententias suo modo veras esse confitentur. Nos omninò negamus Unitatem superaddere Enti Negationem, idq;

4. *Sive pura ea sit atq; simplex:* Uti pro Sententia ista apud Paulum Voëtium p. 146, citantur nonnulli; Rejicitur verò ut pluri-





plurimum hæc Sententia, non solum à Scotistis & iis qui alio, quam Scotistico in sensu Positivum quid hoc loco sustinent; sed ab iis etiam qui negationem admittunt, sed per modum Privationis sese habentem.

5. *Etiam loquendo tantum de Entibus simplicibus*: contra Stahlium *αυρισβειας* hic loci sed infeliciter sectantem. *Metaph. Instit. p. 214.*

6. *Sive per modum Privationis sese habens*: Uti Svaretz, Racionis, Cornæus, Jachæus, & alii plurimi.

7. *Etiam loquendo de rebus simplicibus tantum*: quam Sententiam Paulus Voëtius, sed sine authore certo allegat.

8. *Neq; dicendum sententias istas omnes suo modo esse veras*: Ut idem Paulus Voëtius nimium quantum liberaliter concedit.

9. *Sed superaddit omnino Connotatum aliquod Positivum, Reciprocum, ab Ente ipso non ex natura rei, formaliter tamen per rationem, neq; adequatè sed inadequatè distinctum, inq; Ente ipso intrinsicè repertum*: Ita cum Alexandro ab Ales, Bonaventura, Soto à Svaretio Oviedone aliisq; adductis, quos sequitur Mendoza, Oviedo, Jacobus Fournenc, Homborgius, Burgersdicius, Sengverdius, præter alios quos videre nobis non licuit.

10. *Superaddit verò non à parte rei, sed conceptus tantum nostri; quamquam alias competat Enti citra mentis operam.*

11. *Id verò quod Unitas Enti superaddit est Indivisio ipsa Entis in sese*: quæ licet negativus videatur esse terminus, conceptus tamen positivus est, nec magis negativus quam *Divisio* positivus; aut quam positivæ DEI perfectiones negativis terminis, ob defectum positivorum, designatæ; aut quemadmodum homo dicitur Non-cæcus, ubi τὸ Non-cæcus in homine significatur per modum negationis, id verò quo cæcitas exultat, & quod notioni τὸ Non-cæcus in homine respondet, est quid positivum, nempe Potentia Videndi.

§. Exinde Formale Unius,

1. *Non est quid Positivum ex natura rei ab Ente distinctum*: contra Autores n. 1. & 2. præc. citatos.

2. *Neq; Negatio, quomodocunq; se habens*: contra aut. allegatos n. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

A 3

3. Sed

3. Sed connotata in Ente, Essentia in circo veluti, Nodo, ac Puncto, salva Essentia indissolubili, continua, atq; in se ipsam defixa terminataq; possessio: qua consequenter aptum natum est, Ens omne fundare conceptum formalem Unum fixum, sibiq; exacte constantem.

4. Ens igitur Unum dicitur in quantum Essentiam habet non vagam, non varias in res sibi non constantes, seseq; mutuo excludentes dissectam ac divisam; Scoparum instar dissolutarum turpiter dispersam; sed in continuo quaso circo, indissolubili nodo, & insectili puncto in se ipsam defixam atq; terminatam, omnimodeq; cum se ipsa coherentem: ita ut si vel addas vel demas minimum, habeas, vel nihil, vel res multas.


5. Circum tamen, Nodum, Punctum, Continuationem, Unionem, Terminationem, Defixionem, Comprehensionem, Cohesionem & similia non crasse hic loci capienda esse, Transcendentia Unitatis ac Essentia, & jam posita nuda rationis eademq; inadeguata inter essentiam ac Unitatem distinctio, & conceptus hujus positivi supra Essentiam per mentis conceptum solummodo superadditio, atq; realis cum ipsa quanquam inadeguata identitas satis superq; docebunt; nec proinde in commoda ulla metuenda. Peccat hic loci Arriaga, Unionem crasse pro sola Unione reali Capernaitice satis accipiens.

6. Nec impedit quicquam figuratas esse hasce locutiones. Dant enim proprias, si viri sunt. Cum autem exprimant naturam Unitatis commode satis, gignendo in mente nostra convenientem conceptum formalem de Unitate, cui rei voces Proprie adhiberi maxime solent, in defectu Propriarum annon habenda pro Propriis sunt? idq; ideo, quia propriorum explent partes, dum rem coram intellectu nostro convenientissime & accuratissime sistunt, quod propriarum vocum proprium esse censetur.

7. Divisio a quolibet alio non est de formali Unius, ejus tamen necessarium atq; immediatum consequens. Sequimur communem sententiam.

8. Quare neq; necessario omittitur in Definitione Unius, neq; necessario ponitur, sed ut libet. cont. eos, qui nodum in scirpo hic l. quarunt, & paginas inani strepitu complent, pugnantes tanquam pro aris & focis Divisionem a quovis alio non esse ponendam in Definitione Unius. Aut. Noti sunt.

§. Sic






§. Sic igitur Philosophandum putamus de Uno, ad quem modum etiam de Vero & Bono mutandis tantummodo mutatis Philosophari conabimur.

1. Unitas Entis à parte rei nihil est aliud quam ipse conceptus Entis primus, inadæquatè sub ratione Indivisionis h. e. possessionis essentiæ in circo, nodo, & puncto quasi artissime profundissimeq; & in dissolubiliter cum se ipso cohærentis, conceptus. Vitanda enim Compositio Rationis Compositio major: vitandus processus in infinitum.

2. Unum igitur Ens est, non per aliquid Reale, realiter ipsi superadditum; neq; per negationem seu puram, seu habentem sese admodum privationis; sed per connotatam essentiæ in circo veluti nodo atq; puncto salvâ essentia indissolubili, possessionem.

3. Quæ realis & positiva quædam in Ente habitudo est, non negativa, aut privativa, aut rationis nudæ: uti quæ nec re, nec adæquatè distinguitur à conceptu Entis primo; & præterea affectio realis & positiva ab omnibus aut certè plerisq; salutatur; quæ Perfectionem in Entè singularem denotat, quam non-Enti præpoller, quam certè Negatio & Privatio ut talis, & quid Rationis ut tale non dicit. Quæ enim de illis respectu sui Fundamenti spectatis dicuntur, quod respectu illius sint quædam Perfectiones, frustra sunt. Affectio quippe perfectionem dicere debet subjecti, & quidem extra essentialem atq; Paronymicè de illo prædicabilem: Fundamentum verò Unius juxta ipsos etiam, est ipsum Subjectum, i. e. Ens: Ens igitur denudatum formali ratione Unitatis, quam illi in Negatione ponunt, & ut talem, Perfectionem non dicere concedunt, ac dicere tantum ratione Fundamenti, h. e. ipsum Ens sine hac Negatione dicere perfectionem asserunt, Ens ipsum, inquam, taliter acceptum i. e. Entis conceptus primus, dicit juxta illos perfectionem Paronymicam, seu extra essentialem sui ipsius (concedunt enim Negationem ut talem non dicere perfectionem, dicere verò, quoad suum Fundamentum quod est ipsum Ens) qua dicitur esse unum: quod est absurdum. Præterea idem hoc est dicere: Negationem, quam formaliter juxta ipsos

ipſos dicit Unum i. e. formale Unius, non dicere quidem Perfectionem Entis ratione ſui, quatenus negatio eſt, attamen ratione fundamenti, nempe Entis, ac ſi diceret quis: Te quidem in quantum Codrus aut Irus es, pauperem eſſe non divitem in quantum es Barthimæus, eſſe cœcum, non videntem; eſſe tamen divitem in quantum Crœſus eſt dives, cuius tu es ſubditus, & eſſe videntem in quantum Pater tuus eſt videns cuius tu es filius. Itemq; Cœcitatē, claudicationem & ſimilia Entia Rationis Ratiocinatæ non eſſe perfectiones ratione ſui ac ut tales ſunt, ratione tamen ſui fundamenti, i. e. ſubjecti eſſe perfectiones. Quis credat? nolim ita dives eſſe, non videntem, non perfectus. Ad hæc Unitas perfectionem aliquam Entis dicere debet, non, ipſum Ens eſſe perfectum: non enim quaeritur an Ens dicat aliquam perfectionem; ſed an Unitas dicat Entis perfectionem. Utrumq; ſanè perfectionem dicere debet & Ens & Entis proprietas: Ens perfectio eſt, ſed quæ formaliter eſt ipſa Eſſentia; huius eſſentiæ perfectionem dicit proprietas quæcunq; ſed formaliter ab ea diſtinctam, puta extra eſſentialem & Paronymicè ſolum de eſſentia prædicabilem: Ens verò de ſe ipſo Paronymicè non prædicatur. Neq; illud alicujus momenti eſt, quando aliquid Rationis ratiocinatæ huic negationi atq; fundamento illius adjungunt: nam & illud aliquid Rationis ratiocinatæ in quantum tale, eſt purum purum Nihil; ſolum quia Rationis ratiocinatæ eſſe dicitur, innuitur anſam, occaſionem & fundamentum aliquale alicubi dari, quidpiam de Nihilo illo cogitandi, idq; cum non ſit, ac ſi eſſet, concipiendi: Ubi certè vel ruruſ ad fundamentum h. e. Ens ipſum, recurritur; vel id quod nihil eſt, aliquid eſſe ſtatuitur, ſolum quia datur occaſio anſa aut fundamentum quodpiam de eo quidpiam cogitandi. Dicendum præterea eſt, quidnam ſit illud ipſum Rationis Ratiocinatæ, ſitne quid poſitivum, nec ne, non enim datur medium, nam & ipſa Privatio formaliter negatio eſt. Si poſitivum quid eſt, reale eſt, non ergò Rationis: quod enim quid Rationis tantum eſt, de ſe nihil eſt, ſi enim eſſet quidpiam, cui bono eſſet mentis fictio, etiam prævio fundamento? nihil vero non eſt poſitivum





vum, si positivum quid non est, perfectio non est, ponit enim perfectio non negat aut privat; Non etiam identificatur cum Ente, à parte rei, Ens enim positivum est; nec est affectio realis, sed rationis nudæ, reales verò non excogitatæ solùm, sive cum sive sine fundamento (hoc enim realitatem Nihilo non addit) Entis affectiones. Placet quoad hanc partem B. Jacob. Mart. p. 137. part. Met. Afferens id, quod Unum superaddit Enti, non esse quid positivum nudæ Rationis.

4. Ne tamen oriatur processus in infinitum, & Compositio in Ente ac DEO Compositione Rationis major, dicendum est, formale illud Connotatum Positivum Reciprocum ab Ente ipso non distingvi nisi per Rationem, & sic quoq; inadæquate solùm & consequenter superaddi ipsi itidem non à parte rei, sed per rationem solam, licet aliàs competat Enti citra mentis adjutorium, Ubi probè discernendus processus in infinitum, à remeatione ad eundem terminum, qui hoc l. propter identificationem non est absurdus. Est omninò superadditum illud Ens, sed inadæquate conceptum, i. e. non habetur in ipso, quando concipitur præcisè directè atq; expressè ratio Entitatis ipsius sed connotati solùm. Non teneor igitur respondere sit ne Unum nec ne, quia hæc quæstio est de Ente directè, expressè & adæquate quoad se ipsum, non quoad connotatum cum ipso retrocurrens. Rationis verò Compositionem admittimus hic loci. Alia tamen est Compositio Rationis, quæ imperfectionem involvit, uti est ea, quæ fundatur in Compositione reali, eamq; præsupponit, qualis est, quâ quid e. g. dicitur esse compositum ex Genere & Differentia Specifica. Quæ quidem compositio Rationis est solùm, attamen præsupponit aliam Compositionem realem, ex conceptibus realibus, Notiones Secundas, Generis & Differentiæ fundantibus, & includit præterea in Composito rationem Actus & Potentiæ Passivæ, ut Genus sese habeat instar potentiæ perficiendæ, per differentiam tanquam per actum. Talis igitur Rationis Compositio, removenda à DEO & Ente in communi, non quod Simpliciter turbet, sed quoniam Imperfectionem importat. Alia verò est Compositio Rationis, quæ admittitur à nobis,

B

illa

illa nempe, quam & in DEO reperiri dubium non est, ubi se-
Essentia ipsius dicitur esse virtute multiplex, hoc est, prædita
Attributis seu perfectionibus formaliter, sed per rationem
tantum ab essentia distinctis in Essentia tamen repertis ean-
demq; Paronymicè denominantibus: quod & hic l. appli-
candum.

5. Ex inde verum erit dicere: Ens esse unum per aliquid
Superadditum, superaddere enim debet affectio quidpiam;
idq; Positivum, esse enim Unitas debet aliqua Entis Perfectio,
& esse debet realis affectio, & debet à parte rei esse Ens ipsum.
Et tamen verum simul erit dicere, Ens esse Unum per propriam
suam Essentiam inadæquatè solum conceptam, quia illud con-
notatum positivum, Enti superadditum, est ipsa illa Essentia
inadæquatè concepta. Ubi licet absurdum foret, Entis con-
ceptum primum adæquatè conceptum, Enti ipsi h. e. idem
sibi ipsi, eodem modo à parte rei superaddi, maximè tamen
congruum in Transcendentibus ac Divinis, Entis ac DEI con-
ceptum primum inadæquatè sub ratione Indivisionis. (Posi-
tivè tamen explicatæ) h. e. ipsam Indivisionis rationem Enti
atq; DEO per rationem solum super imponi.

6. Quod ita capiendum: Res quævis essentiam habere de-
bet, non vagam, non varias in res sese mutuo Excludentes,
dissectam, non scoparum instar dissolutarum distractam, ita
ut apta sit fundare Conceptum formalem Unum, fixum,
sibiq; exactè constantem: uti notum est. Una igitur res est,
si talem Essentiam habet: habet verò illam si circo quasi con-
tinuo, indissolubili nodo & puncto insectili, ita cohæret
cum se ipsa, ita defixa in sese est atq; terminata, ut exactis-
simè sibi absolutissimeq; constet, nec possit recipere quidpiam
aut perdere, quin statim fit vel nihil, vel fiant res multæ. Et
in hocce positivo conceptu consistit Unitas, uti dictum, ubi
quò pauciora habet res in sui constitutione eò minùs metuen-
dæ sunt scopæ dissolutæ, ita quidem, ut si res planè pleneq; sit
simplex, hæc ipsa, Unitate gaudeat eminentissima.

7. Apparet hinc, Unum in Recto esse essentiam cum Con-
notato Circo quasi Nodo atq; Puncto, exactissime sibi con-
stante;





stante; Unitatem in Obliquo esse Circum, Nodum, Punctum exactissime sibi constans cum connotata Essentia. Connotant vero sese mutuo, quia à parte rei sunt Unum & idem, nisi quod *Esse* dicatur res propter Essentiam Circo Nodo & Puncto quasi in se ipsam defixam, *Una* dicatur, propter defixionem & comprehensionem Essentiae in Circo Nodo atq; Puncto: Exinde formaliter dicuntur distingvi sed per rationem tantum.

8. Cæterum quoniam difficile est Perfectionem eam quam Unitas in Ente importat, & fortassis ne possibile quidem, exprimere una voce positivâ, utimur in tantum voce negativa Indivisionis in defectu vocis positivæ, quanquam res aliis positivis circumscribi commodè possit, uti est visum.

9. Exinde Vox Indivisionis h.l. in speciem tantum negativa est, reverâ autem positivi quid designat, quod vel inde est manifestum, quod terminus Divisionis quem importat Multitudo, quiq; indivisioni contradictoriè opponitur, dicat formaliter Negationem puta Unionis & continuitatis, quod frivole satis negat Arriaga. Est nempè Divisio, Negatio formalis seu disjunctio unius ab alio: Negatio Continuitatis & Unionis & consequenter Unitatis, in Entibus multis, quâ non sunt quid unum, sicuti & *posse dividi* est posse carere unione & Continuitate terminis proculdubio positivis vid. Oviedo & paulo ante n. II. Placent verba Dn. D. Scharff. in Theoria Transc. p. 319. Nec est quod urgeatur excludere Divisionem Entitativam esse terminum negativum: etenim est saltem terminus apparenter negativus, quemadmodum sæpè solemus exprimere aliquam realitatem per modum negationis, quando sc. idoneo destituimur vocabulo, & res ipsa abstrusa deprehenditur. Hæc de Uno.

DECIS. II. DE VERO.

Verum esse Ens debet, non fictum, non fucatum. Verum quod non est, Ens non est. Hinc agendum de Veritate.

1. *Veritas qua in Essendo & Transcendentalis vocatur est affectio Entis unita.* Constituitur hæc thesis & confirmatur prolixè à plerisq; cum dilutione argumentorum oppositorum. Attri-

buitur verò sententia adversa Vasquezio in 1. part. disp. 77. cap. 5. Quem tamen videre nobis non licuit, nec est res tanti; citatur tamen à Philipp. à S. Trinit. part. 3. Summ. Philos. q. 8. art. 1. p. 132.

2. *Veritas autem in Cognoscendo & Significando hujus loci directè non est, sed indirectè solummodo.* Ita cum Svarezio & aliis plerisque Metaphysicis: quorum aliqui Veritatem in cognoscendo planè vel ad Logicam, ut Toletus, Ruvio Arriaga, Stahlius, vel ad Doctrinam de Anima, uti Mendoza Claudius Bucardus & alii ablegant; Svaretz tamen Raconis, Rutgerfius B. Jacob. Mart. D. D. Scharff. Philippus à S. Trinitate aliiq; in Metaphysica eam pertractandam censent, quanquam non eandem assignent rationem, consentiunt tamen ferè in eo, quod indirectè solum ibi pertractanda sit.

3. *Licet aliàs non malè dividatur Veritas in Veritatem in Essendo, Cognoscendo & significando:* Contra Stahlium qui hanc distinctionem vanam & minimè admittendam esse censet Instit. Metaph. p. 306. seq. Ubi tamen falsis quibusdam nititur hypothesebus, & postea etiam de *Vero* ut concreto seu denominativo concedit id dici tripliciter nempe formaliter ut Cognitio Effectivè, & Determinativè, ut Res, & Significativè ut Voces.

4. *Neq; etiam sese ad modos hosce habet Veritas nudè equivocè aut per nudam Analogiam proportionalitatis:* Uti putat Rutgerfius l. 1. Inst. Met. c. 16. & ex parte Svaretz disp. Met. 8. Sect. 8. n. 12. dicens, Veritatem de Veritate Compositionis aut divisionis & de Veritate Rerum seu transcendentali, non dici propriè secundum aliquam Analogiam attributionis sumptam ab aliqua forma, quæ intrinsecè conveniat alicui analogatorum, aliis verò extrinsecè: quare videtur ipsi potius hæc vox æquivocè dici sub his duabus rationibus, vel ad summum secundum Analogiam proportionalitatis.

5. *Neq; per nudam Analogiam Attributionis extrinsecæ:* Contra Greg. de Valentia Tomo 1. in Thomam disp. 1. q. 16. punct. 1. p. 395.

6. *Sed per Analogiam attributionis intrinsecæ.*

7. *Ubi*





7. *Ubi tamen Ratio Veritas non est primò in Veritate cognitionis sed rei, Veritatis potissimum Transcendentalis. Contra Rutgers. Stahl. l. d. in init. cap. & alios.*

§. *De Transcendentali autem Veritate, videndum rursus quid superaddat Enti & quid formaliter dicat.*

1. *Veritas transcendentalis non superaddit Enti aliquid positivum ex natura rei ab ipso distinctum: quæ fortassis est mens Scottistarum.*

2. *Neq; Relationem nudam ad Intellectum sive divinum, sive humanum, sive theoreticè, sive practicè cognoscentem. Contra communem plerorumq; sententiam.*

3. *Sed rursus Connotatum aliquid positivum reciprocum ab Ente ipso non quidem ex natura rei, formaliter tamen per rationem, neq; adequate, sed inadæquate distinctum, inq; Ente ipso intrinsecus repertum.*

4. *Superaddit verò ipsi pariter non à parte rei, sed conceptus tantum nostri, licet itidem citra mentis operationem illi conveniat.*

5. *Connotatum illud quod Enti superaddit Veritas est ipsa competentia Essentie, ad Entis Naturam debitam.*

§. *Formale proinde Veri.*

1. *Non consistit in Relatione Rationis ejusdem ad se ipsum secundum esse cognitum & esse reale. Contra Durandum in 1. dist. 19. q. 5. apud Joh. Lalemandet. disp. 2. Metaph. partit. 3. quem vide. Cum quo coincidit ferè Sententia Soncinatis apud eundem Lalemandetium.*

2. *Non in segregatione cujuslibet ab omni sibi extraneo positivo: Contra Aureolum in 1. dist. 19. art. 2. apud Lalemandet. l. d. quam sententiam Arriaga quoq; & Mendoza recensent, & cum ea conjungunt definitionem Augustini, juxta quem Verum est id, quod est, non autem id, quod videtur.*

3. *Non in Congruentia ad intellectum sive divinum, sive humanum, sive theoreticè, sive practicè cognoscentem. Cujus Sententiæ communis admodum patroni videri plurimi possunt apud D. D. Scharff. in Theor. Transc. p. 337*

4. *Multò minus in Denominatione Extrinseca ab actu Intellectus cognoscentis vero; Contra Mendozam disp. 6. Met. Sect. 1.*

Cujus vestigia ex asse terit Homburg. Disp. 18. Met. th. 64. & seq. Itemq; Stahlius Inst. Metaph. c. 36. p. 303. Plures ibidem hanc in rem allegans, & Raphaël Averfa. q. 6. Metaph. Sect. 3. concl. 2. à Lalemandetio citatus.

5. *Non in priorum Essentia signorum possessione: Uti Rhædus in Pervigilio Jovis th. 28. Vid. Theor. Transc. Dn. D. Scharff. p. 333.*

6. *Non in participatione talis Essentia, quæ cuiq; in ea specie debetur, quatenus ad intellectum sive ideam suam ordinatur: Adversus Combach, Met. P. 70.*

7. *Sed Veritas transcendentalis omnino in rebus ipsis formaliter est, absq; ordine ad intellectum sive divinum, sive humanum: pro quâ re videri possunt quæ eleganter producit Joh. Lalemend. disp. 2. Metaph. partit. 3. modo removeantur quæ supra è sententia Scotistarum de attributorum in genere ab Ente distinctione disputarat.*


8. *Estq; ea nihil aliud quam connotata in Ente & quidem sine ordine ad intellectum quemcunq; quomodocunq; sese habentem, Essentia juxta rei naturam debita, competentia: quæ est ratio quædam in Ente connotata, qua id essentiam habet sibi debitam, i. e. hujusce modi qualem exigit atq; postulat rei natura.*

9. *Verum igitur Ens esse dicitur, in quantum essentiam habet sibi debitam naturæq; sue competentem, non fucata, non inaniter confictam. Sic Ens Verum dicimus quod Essentiam habet qualem Entis natura postulat, eam sc. quam exhibet conceptus ejus primus puta realem positivam & actualem. Aurum dicimus Verum quod essentiam habet, quam auri natura exigit, quam ex Physicis haurias licet.*

§. Sic igitur Philosophandum putamus de Vero,

1. Veritas Entis à parte rei nihil est aliud quam ipse conceptus Entis primus inadæquatè sub ratione *Debiti* designatus atq; conceptus. Vitanda namq; rursus Compositio, Rationis compositione major: vitandus processus in infinitum.

2. Verum igitur Ens est non per aliquid reale realiter ipsi superadditum, & adæquatè ab ipso distinctum, neque per aliquam relationem sive realem sive rationis; sed per connotatam





tam Essentiæ juxta rei naturam *Debite* ad rem ipsam habi-
tudinem.

3. Habitudoem realem & positivam in quantum nec re,
nec adæquatè distinguitur à conceptu Entis primo; & præte-
rea affectio realis & positiva est, quæ perfectionem in Ente sin-
gularem denotat, quâ non-Enti & cuilibet Enti Rationis præ-
pollet.

4. Ne tamen oriatur processus in infinitum & compositio
in Ente ac D.E.O. Compositione Rationis major, dicendum
est rursus, formale illud connotatum positivum reciprocum
ab Ente ipso non distingui, nisi per rationem; & sic quoque in-
adæquatè solum, & consequenter superaddi ipsi itidem non
à parte rei, sed per rationem solam, licet aliàs competat Enti
præter mentis operam. Ubi probè discernendus processus in
in infinitum à remeatione ad eundem terminum, qui h. l. pro-
pter identificationem non est absurdus. Est omnino super-
additum illud, Ens, sed inadæquatè conceptum i. e. non atten-
ditur in ipso quando concipitur præcisè, directè atque expres-
se, ratio Entitatis ipsius, sed connotati solum. Non teneor
igitur respondere, si ne Verum illud nec ne, quoniam quæstio
hæc est de Ente directè, expressè & adæquatè quoad seipsum,
non quoad Connotatum eum ipso retrocurrens, Rationis ve-
rò compositionem iterum admittimus; sed eam solum quam
supra in unitate indigitavimus. n. 4.

5. Exindè verum erit dicere, Ens esse Verum per aliquid su-
peradditum, superaddere enim debet affectio quidpiam; idq;
Positivum, esse enim Veritas debet aliqua Entis Perfectio &
esse debet realis affectio. & debet à parte rei esse Ens ipsum:
Et tamen verum simul erit dicere, Ens esse Verum per propri-
am suam essentiam inadæquatè solum conceptam, quia illud
connotatum positivum superadditum est ipsa illa Essentia in-
adæquatè concepta. Ubi licet absurdum foret, Entis con-
ceptum primum adæquatè conceptum Enti ipsi h. e. idem si-
bi ipsi eodem modo à parte rei superaddi, maximè tamen
congruum in transcendentibus ac divinis Entis ac D.E.I. con-
ceptum primum inadæquatè & minùs expressè, sc. sub ratio-

ne


ne *Debiti* competentis apprehensum, hoc est ipsam *debiti* competentis rationem Enti atque DE o per rationem solum super imponi.

6. Quod ita capiendum: Competit rei cuilibet, modus, mensura & ratio propria essentiae, quae Natura ipsius vocatur, si-ve sit modus sine modo, mensura sine mensura, ratio sine termino; si-ve modificata commensurabilis atque terminata: quae est id quod est, discernitur ab alio quovis, & functiones exercet suas. Hanc essentiae rationem modum & mensuram naturae cujusque rei debitam, si obtinet Ens, vera dicitur; Sin vel ficta plane est vel fucata, veritatis non gaudet nomine. Et in hocce positivo & absoluto conceptu, consistit Veritas, uti dictum. Ubi quo pauciora habet res, quae ad sui constitutionem juxta naturam suam ipsi debentur, eò minus metuenda erit deviatio.

7. Ut appareat hinc Verum in Recto esse Essentiam cum connotato Debito conveniente, Veritatem in Obliquo esse Debitum conveniens cum connotata essentia. Connotant verò sese mutuo, quia à parte rei sunt unum & idem, nisi quod res esse dicatur per & propter Essentiam debitam convenientem, vera dicatur, per & propter *Debitum conveniens* Essentiae: Ubi nec natura rei ab Essentia rei debita, nec debitum naturae ab Essentia ipsa ex rei natura discriminantur.

8. Cæterum quoniam Veritas ista apta nata est percipi à quopiam cognoscente ane sc. ista quam res habet essentia ea sit quae ipsi competit juxta suam debitam naturam, cuilibet rei ex Veritatis vi Unitate praesupposita Perceptibilitas, seu Cognoscibilitas competit, quae nihil est aliud quam aptitudo Entis, quae, ipsius similitudo esse vel haberi potest. Huic respondet citra moram atq; dubium aliqua Perceptivitas, seu Cognoscitivitas, quae nihil est aliud quam vis seu aptitudo Entis, quae potest in se Entis cujuscumque habere, atq; nancisci similitudinem; Utraq; in actu cum est, (uti penes DEUM semper est.) Perceptio seu cognitio sequitur, quae nihil aliud est quam actualis ejus similitudinis apprehensio atq; possessio.

9. Per-





9. Percipitur ergò à quopiam quicunq; tandem is fit Veritas rei cuiuslibet: Facultas tamen veri perceptiva una cum non sit, sed varia, ita progrediendum porrò; Est quædam facultas Perceptiva, quæ perpetuò infallibiliter & perfectissimè Veritatem rerum percipit, non aliter atq; in sese res sunt, nec falli potest in percipiendo atq; cognoscendo: Secus enim si foret verè perceptibilis res non esset, & impossibile est præterea ut omnis omninò fallatur Perceptio. Ita verò percipit atq; intelligit rerum veritatem solus DEUS seu uti loqui solemus: Intellectus divinus, qui exactissimè se ipsum novit, & rebus omnibus extra se Veritatem una cum essentia est largitus.

10. Hic tamen quia diffusivus sui est, utpotè summè bonus & sunt etiam res Arte factæ, quæ ut tales, Essentiam suam à DEO immediatè non obtinent, sed Agente aliquo creato; inde alia quoq; datur facultas veritatis Perceptiva, eaque tum in Angelis tum in hominibus, puta intellectus ipsorum creatus; qui tamen & humanus cum primis falli miris modis potest. tum maximè si res tales vel tales utpotè Veras, Bonas, Difficiles &c. esse iudicat, ex eo quia ut tales ab ipso percipiuntur, non verò percipit & cognoscit esse tales, quia tales h. e. Veræ, Bonæ, Difficiles, sunt.

11. Uterq; tamen divinus pariter ac humanus intellectus veritatis rerum Perceptivus, modo sibi proportionato, veritatem rerum quoniam percipit, aliquomodo illam habet in sese, verè namq; illam capit.


12. Et quia verè capit & possidet veritatem rerum intellectus uterq; verè potest eandem rursus de sese elargiri atq; prode, & consequenter veritas rerum commodè quoq; peti exinde potest: Non secus atq; è speculo quod faciem atq; imaginem hominis capit, eam ipsam speciem atq; imaginem haurire & cognoscere licet, ac de veritate ejusdem, quam formaliter in congruentia ad speciem seu imaginem in speculo residentem non consistat, è specie illa atq; imagine certitudinem petere.

13. inde

13. Inde est, quod dicatur & verè quidem, verum esse quod congruit cum intellectu (potissimam divino;) & quod non congruit, verum non esse. Nam cum intellectus res percipiat ut in sua natura sunt, à deoq: veram rei imaginem atque ideam in sese obtineat, ideo peti quoq; vera Entis ratio ex intellectu potest; ita ut si res se habet, ut ejus idea & imago vera se habet in intellectu, res etiam vera sit, quia congruit cum exacto sui Perceptivo atque Repræsentativo, quod jam h. l. supponitur.

14. Etsi ergo non constituatur Veritas Entis formaliter per congruentiam ad intellectum ceu per principium formale; arguitur tamè donotatur atq; designatur per illam ceu per Concomitans ob ejus Perceptionem, & hinc ortam possessionem, atq; exinde rursus provenientem exhibitionem seu repræsentionem, Arguitivum, Reciprocum, ita ut Verum sit, quod cum intellectu congruit, falsum quod ab eo deviat; nec tamen ratio Veri formalis in Congruentia ista consistat, sed solummodo ceu per Concomitans Arguitivum reciprocum, ob fundamentum jam positum exhibeatur atq; designetur.

15. Rem ita declaro. Habeo Insignia Gentilitia sigillo insculpta, *Verum* est sigillum, si imaginem gerit pro ratione status atq; conditionis meæ mihi debitam atq; competentem. Sin minus uti si fortè erret sculptor & pro Leone mihi ex nataliorum Jure debito Simiam effigiet, aut pro Aquila Vespertilionem, *Verum* sigillum non est, sed falsum. At jam *Verum* esse pono, utpotè gerens effigiem mihi debitam atq; competentem. Imprimò id ipsum ceræ aut cortici; Cera illa & ille cortex recipit in se & habet & repræsentrare consequenter potest Veritatem sigilli; ita ut licet veritas sigilli non consistat formaliter in congruentia ad effigiem illam, quæ in cera aut cortice jam residet, utpotè quam habuit antè impressionem; argui nihilominus verè possit, sigillum, quod cum effigie illa expressa & jamdum repræsentrata exactè congruit, esse verum sigillum meum, quod non congruit non esse: quia congruit aut non congruit cum exacto sui repræsentativo, Eodem modo





do obtinet res in Vero. Vera Res est cum essentiam sibi jux-
ta naturam suam debitam atq; competentem habet, citra re-
spectum ad ullum intellectum. Illa tamen Veritas vi Per-
ceptibilitatis suæ Intellectui perceptivo imprimitur. Hauriri
ergò Veritas rei potest ex intellectu. Veritatis Perceptivo
atq; Repræsentativo, sicut hauriri potest Sigilli Veritas ex ce-
ra sigilli receptiva atq; repræsentativa: Sicut itidem hauriri
potest Veritas faciei & imaginis hominis noti, è speculo illius
receptivo atq; repræsentativo; Ubi interim nec Veritas sigilli
per convenientiam cum effigie ceræ impressa, nec Veritas i-
maginis atq; faciei hominis noti, per convenientiam cum i-
magine in speculo recepta atq; repræsentata constituitur.

16. Quia tamen in Perceptivitate intellectu perceptivi & con-
sequenter in perceptione quoq; & exinde orta exhibitione
atq; repræsentatione Veritatis dantur Gradus quidã dabuntur
Gradus in Arguitione quoque atque designatione ejusdem.
primario nempe arguitur Veritas rei per intellectum divi-
num, puta exactissimè, perfectissimè & absolutissimè per-
ceptivum, comprehensivum atq; repræsentativum; & secun-
dario solum per humanum aut quemcunq; alium intellectum
creatum.

17. Exinde quoq; est, quod Congruentia ista ad intelle-
ctum divinum semper sit Actualis, ad humanum quandoque
aptitudinalis & fundamentalis tantum.


18. Est etiam intellectus divinus ad Veritatem Transcen-
dentalem rerum creatarum existentium practicè cognoscens
& mensurans; Respectu Veritatis propriæ Theoreticè tan-
tum cognoscens; Respectu Entis ut sic neq; theoreticè præ-
cisè, neq; practicè sed indifferenter.

19. Illa tandem Congruentia ad intellectum sive huma-
num sive divinum non est aliquid positivum absolutum, uti pu-
tat Phil. à S. Trinit. neque pura Relatio Rationis, uti alii fortè,
sed Respectus Transcendentalis.

DECIS. III. DE BONO.

1. **E**Ns omne, sicut Unum & Verum, ita Bonum quoq; simpliciter est, Bonitate Transcendentali : quod non solum contra eos, si qui sunt, notandum, qui Bonum & Malum pro Affectione Entis disjuncta habent; sed & adversus illos, qui Entia Mathematica, & Relationes juxta esse ad negant Bonitate gaudere, quod facit Phil. à sanct. Trinit. part. 3. Summæ Philos. quæst. 10. art. 2. qui licet concedat Entia in quantum in Actu, esse Bona, adeoq; materiam primam non esse bonam nisi in potentia (quæ tamen quoniam explosa hætenus est à cordatioribus, nihil nunc ad nos) Entia tamen Mathematica materialiter tantum esse bona dicit, non formaliter. Ibi tamen falso adscribit Philippus Svarezio, quod & is Entia Mathematica neget esse bona. Videatur Svarez. Mendoza, Paulus Voëtius &c.
2. *Non dantur Entia quæ nec bona sint nec mala* : contra eundem Philip. l. d. de Relationibus secundum esse ad idipsum assententem.
3. *Non sumendum verò Bonum Transcendentale, prout est Entis Affectio sub ratione Convenientis alteri, ut talis* : uti facit Capreolus apud Svarezium Disp. 10. sect. 1. num. 2. & alio modo Durandus apud eundem l. d. num. 5. & Johannem Lalemandetium : quorum prior Convenientiam illam ad aliud, putat esse Relationem Rationis; posterior Realem : itemq; contra alios quam plurimos, alterutri assentientes.
4. *Uti neq; dicendum, Bonum Conveniens esse plus quam Transcendens, quod non solum Entia sed & Non-Entia supergrediatur* : quæ sententia quorundam est apud Svarez. disp. 10. sect. 3. n. 2.
5. *Sed omnino Bonum quatenus est Affectio Entis Unita, est absolute vale* : ita cum Johanne Lalemandetio Dn. D. Scharifio & aliis.
6. *Bonitas quoq; illa Transcendens, non sumitur potissimum à Bonitate honesta, quæ sit non moris sed natura* : contra Svarezium l. d. num. 10.
7. *Quin nec adequatè dividitur Bonum Transcendentale in Utile, Honestum & Jucundum* : contra Philippum à sanct. Trinit. l. d. art. 3. p. 166.

§ Vi.





§. Videndum autem hic etiam est, ut exactè peruestigetur Boni natura, quid superaddat Bonitas Enti, & quid proinde formaliter dicat. Ex nostra sententia.

1. Boni ratio addit aliquid supra Ens non Rationis modo, sed Reale: contra Averfam quæst. 7. Metaph. sect. 2. conel. 3. apud Lalemandetium: itemq; contra Franc. Bonæ spei cum eo ferè consentientem.

2. Non quidem proprietatem aliquam positivam absolutam ex natura rei ab Ente distinctam: contra Scotum in I. dist. 3. & Scotistas communiter.

3. Neq; nudam Relationem Rationis; contra Capreolum apud Svarezium loc. d.

4. Neq; relationem Realem: contra Durandum apud eundem Svarezium l. d.

5. Sed rursus connotatum aliquod positivum reciprocum, ab Ente ipso non ex natura rei, nec adequate, formaliter tamen per rationem, & inadquate distinctum inq; ipso Ente intrinsicè repertum.

6. Superadditq; iterum non a parte rei, sed conceptus tantum nostri; licet alias Enti competat citra cogitationem nostram.

7. Connotatum illud est ipsa Essentia seu perfectionis (hæc enim pro eodem stant hoc loco) Congruentia, que est capacitas vel conjunctio quædam, aut naturalis inclinatio & insinuatio rei in seipsam, qua Ens sibi ipsi nec contradicit, nec seipsum privat, adeoq; nec omni nec quodammodo se tollit, nec sibi contrariatur vel adversatur, sed secum omnino consentit, & intimè congruit ac suaviter in seipso conquiescit.

§. Formale proinde Boni,

1. Non est Proprietas aliqua absoluta Enti superaddita, & ex natura rei ab Ente distincta: uti visum paulò ante, num. 1.

2. Multo minus accidens pertinens ad Predicamentum Quantitatis: contra Soncinatem 4. Metaph. quæst. 19.

3. Neq; sola Entis perfectio aut integritas in absolutis absoluta in relativis relativa: contra Hervæum apud Svarezium l. d. n. 9. Itemq; contra Vasquezium apud Lalemandetium, contra Arriagam disp. 1. Metaph. quæst. 6. & ipsum Lalemandetium l. d. resolutione 3.

4. *Neq̄ perfectio Entis in suo genere connotans actum appetitus à quo denominatur amabile: contra Mendozam disp. 6. Metaph. Sect. 4. §. 45. cum quo facit Philippus à Sanct. Trinitate l. d. quæst. 10. art. 1. & alii communiter.*

5. *Neq̄ convenientia cum alio, voluntate scil. aut appetitu sive divino, sive alio quocunq̄ aut relatio ad hæc ipsa: contra communem sententiam.*

6. *Neq̄ ratio Unitatis: uti nonnullos dicit sentire Lalemandetius.*

7. *Neq̄ ratio Diffusivi: uti itidem quosdam statuere idem censet.*

8. *Nec quod quidpiam habeat rationem Finis aut Medij: contra Burgersdiciam refutatam à Paulo Voëtio p. 308. & alios.*

9. *Sed connotata in Ente ipso, citra respectum ad aliud, congruentia Essentia seu perfectionis ad rem ipsam, seu capacitas illa, conjunctio, naturalis inclinatio ac insinuatio, & amica conspiratio rei cum seipsa: ita cum Dn. D. Scharffio, Gutkio, Svarezio aliquatenus, & Heerebordio vol. 1. Meletem. Philos. 33. §. 4. approbante sententiam Gvinandi Rutgersii idem sentientis.*


10. *Bonum igitur Ens esse dicitur in quantum Essentia illius tam profunde in seipsam defixa atq̄ complicata, ipsi juxta naturam atq̄ rationem ejus debita, congruit atq̄ consentit secum, h. e. sibi ipsi nec contradicit, nec se ipsam privat, adeoq̄ nec omni nec quodam modo se tollit, nec sibi contrariatur vel adversatur, aut est ullâ ratione Heavtontimorumenos; sed secum omnino consentit, intime congruit ac suaviter in se ipso conquiescit.*

§. Sic igitur Philosophandum putamus de Bono,

1. Bonitas Entis à parte rei itidem nihil aliud est quam ipse Conceptus Entis Primus, inadæquatè sub ratione Congruentia apprehensus. Vitanda enim denuo Compositio compositione rationis major: vitandus processus in infinitum.

2. Bonum igitur Ens est rursus non per aliquid reale realiter ipsi superadditum, & adæquatè ab ipso distinctum; neq̄ per aliquam relationem sive realem sive rationis; sed per connotatam Essentia juxta rei naturam Congrua ad rem ipsam habitudinem.

3. Ha.





3. Habitudoem realem & positivam, in quantum nec re, nec adæquatè distinguitur à conceptu Entis primo; & præterea affectio realis & positiva est; quæ perfectionem in Ente singularem denotat, qua Non-Enti & cuilibet Enti rationis præpoller.

4. Ne tamen oriatur & hic processus in infinitum, & compositio in Ente ac DEO compositione rationis major, observandum idem est, quod supra de Uno & Vero notatum fuit, hîc prolixitatis vitandæ causa prætereundum.

5. Exinde verum erit dicere, non secus atq; superius, Ens esse Bonum, per aliquid superadditum, superaddere enim debet affectio quidpiam; idq; Positivum, esse enim Bonitas debet aliqua Entis perfectio, & esse debet realis affectio, & debet à parte rei esse Ens ipsum: & tamen verum erit simul dicere, Ens esse Bonum per propriam suam essentiam, inadæquatè solùm conceptam, quia illud connotatum positivum superadditum est ipsa illa Essentia inadæquatè concepta. Ubi licet absurdum foret rursus, Entis conceptum primum adæquatè designatum atq; expresse, Enti ipsi h. e. idem sibi ipsi eodem modo, à parte rei superaddi; maximè tamen congruum in Transcendentibus ac Divinis, Entis ac DEI conceptum primum, inadæquatè & minus expresse scil. sub ratione Congruè apprehensum, h. e. ipsam Congruentiæ rationem, Enti, per rationem tantum super imponi.

6. Quod ita capiendum: Res quævis essentiam habere debet non vagam, non varias in res sese mutuo excludentes dissectam, sed nodo quodam & circo in seipsam defixam atq; terminatam *quod indigitavimus per Unitatem*. Id ut fiat eam debet essentiæ rationem, eum modum, eam mensuram obtinere, quæ ipsi, vi naturæ propriæ debetur atq; competit, non ficta esse debet non fucata, secus enim non constabit Circus, non Nodus non Punctum, non enim coherent quæ non spectant ad se invicem; *id significavimus per Veritatem*. Quod tamen utrumq; uti evenire nequit ullo modo, si aliqua proportio atq; incongruentia & absurditas amicabile inter essentiam

unio

tiam


tiam rei Unam & naturam ipsi debitam fœdus dirumpat aut
interturbet : ita sequitur ultro præsente Unitate & Veritate
rei, taliter, uti à nobis factum, explicatâ, conspirare hic loci
omnia, atq; harmonice in rem unam, debite & competenter
rendere, *in quo consistit Essentialis rei Bonitas.*

7. Bona enim res tunc dicitur, quando omnia quæ in
essentia ipsius reperiuntur, aptissimè congruunt & amicissime
jucundissimeq; conspirant.

8. Apparet hinc Bonum in Recto esse essentiam cum conno-
tata Congruentia : Bonitatem in Obliquo esse Congruentiam
cum connotata Essentia. Connotant vero se invicem mutuo,
quia à parte rei sunt unum & idem ; nisi quod *esse* dicatur res
propter *essentiam* congruentem, *Bona* esse dicatur propter *Congruentiam*
essentiæ : ubi nec natura rei ab essentia rei congrua,
nec congruentia istius naturæ, ab essentia ipsa, ex rei natura
discriminantur.

9. Cæterum quoniam primum & perfectissimum in quo-
libet genere Mensura est & Norma reliquorum, Bonum solet
vocari, quod cum DEO Summo Bono congruit, cujus Bonitas
Bonitatis omnis Mensura est & Norma ; ipsa vero Mensuram
atq; Normam nullam omnino agnoscit.

10. Speciatiim verò, cum Bonum quodlibet adjunctam ha-
beat appetibilitatem, ortam ex Congruentia illa ad se ipsum,
eo pacto, quo grata sunt quæ consistere ac morari secum pos-
sunt, ingrata quæ sibi ipsis noxia : eum etenim quis ferat, sibi
ipsi gravis qui est ? & argumento alias est, eum qui sibi ini-
qvus est, alteri æqvum esse non solere. Convenit igitur Enti,
in quantum congrua sibi, h. e. Bona est, Appetibilitas, quæ
nihil est aliud, quam percepti cum percipiente unibilitas, seu
potentia atq; aptitudo Entis, qua à percipiente id ipsum per-
ceptum appeti potest. Huic respondet citra moram atq; du-
bium aliqua Appetitivitas, quæ nihil aliud est, quam perci-
pientis cum percepto Unitivitas, seu potentia & aptitudo En-
tis, qua id Bonum perceptum appetere potest. Utraq; in actu
cum est, (uti penes DEUM semper est) Appetitio seu Appetitus
oritur





oritur, qui nihil aliud est, quam perceptivitas circa perceptibilitatem actuale exercitium, seu percipientis cum percepto unio.

11. Placet hinc cupiam, quicumq; tandem is sit, Bonitas rei cujuslibet: placet enim congruentia Entis ac harmonica dispositio, non secus atq; placet arcus belle & informiter intentus: Quod si conferre quid præterea existimatur, etiam appetitur.

12. Deus igitur summam in se ipso congruentiam atq; harmoniam cum videat, conquiescit in sese placidè, seq; ipsum vult, & cum voluntate sua exactissimè congruit. Conquiescit verò in seipso placide, & vult seipsum, quia in seipso Bonitatis omnis videt abyssum, summam nempe Essentiæ & perfectionum omnium harmoniam atq; congruentiam: quæ Bonitas divina cum placeat hoc pacto Voluntati divinæ, præcedit in signo rationis appetitum illum divinum: appetit se ipsum Deus, appetitu intellige Complacentiæ, quia in sese Bonitatem videt. Proinde Bonitas DEI aliud quid est quàm Congruentia ad Voluntatem suam: id nempe quod Essentiam DEI cum Voluntate DEI congruere facit.

13. Res Creatæ autem, quoniam ex beneplacito DEI essentiam ~~na~~ ^{na} ~~essentiam~~ ^{essentiam} ~~essentiam~~ ^{essentiam} istius, acceptam illi terre tenentur. Congruam habent res ~~essentiam~~, quia talem à Deo acceperunt. Acceperunt autem non invito aut incio, sed volente DEO. Velle Deus non potest nisi quod Congruum est, hoc est, Bonum. Congruæ igitur res, id est, Bonæ sunt, quia vult illas Deus; nec sunt bonæ, nisi Eas esse, & consequenter Bonas quoq; esse, idem ipse Deus velit. At vides, si oculos non sponte claudis, res bonas dici, ob Congruentiam cum Voluntate Dei, ut *Principio Effectivo*, & consequenter *Argutivo*, à quo in esse & conservari Bonum omne dependet; non tanquam à *Formali*, per quod in esse Bonitatis constituentur. Congruunt enim esse cujusvis Creaturæ Bonæ cum Voluntate Dei: vult igitur Deus omnem essentiam creatam: vult autem non cæco impetu aut sine ulla in re existente aut prævisâ causa; sed vult quia Bona est: & quia vult eam quia Bona est, congruit cum Voluntate ejus, quia Bona est. Vides igitur Bonitatem creaturæ non esse congruentiam

D

ad

ad voluntatem Dei; sed aliud quidpiam, id nempe, quod creaturam cum Voluntate Dei congruere facit: Congruentiam nempe essentiae vel actu existentem vel praeviam, prout nempe res aut existit actu, aut producenda demum est à Deo.


14. Verum interim est, rem esse Bonam, quae cum voluntate divinâ congruit: quae non congruit Bonam non esse; quamquam in eo non consistat ratio formalis Bonitatis. Vult enim Deus non nisi rem, cuius perfectissimè cognita ipsi Bonitas est. Arguere igitur licet: rem Bonam esse, aut non esse, si congruat, vel non congruat cum divinâ voluntate, quia Deus velle non potest nisi quod est Bonum. Et hoc est quod nos dicimus, Congruentiam ad Voluntatem Divinam esse Concomitans Bonitatis Arguitivum Reciprocum, ortum, tum ex productione Bonitatis, tum verò minimum ex exactissima cognitione. Non confundendam ergo Principium Effectivum & Arguitivum cum Formali.

15. Et quoniam hominibus quoque; datus uti Intellectus, ita Voluntas etiam, qua appetere & is potest Bonitatem perceptam rerum quam pro Formali semper habet objecto; exinde ad humanam quandoque; voluntatem solet hic recurri.

16. Quia tamen fallimur nonnunquam in iudicando Bonum esse, quod Malum tamen est; & praeterea non solet appetere eam quae Bona sunt, quam quae sunt Bona Sibi; Cedit quam longissime Congruentia rei cum voluntate humanâ, Congruentiae ejusdem cum beneplacito divino, in Bonitate rerum arguenda atque; designanda: uti etiam non semper actualis est haec rei ad voluntatem hominis congruentia, sicuti est ad Voluntatem Dei; sed solum aptitudinalis non raro.

§. Conclusio. Sic Nos de Uno Vero & Bono. Integrum esto cuique, statuere per nos e quidem quicquid lubet. Sua cuique Libertas Philosophica. Et

Diversum sentire duos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper Amicitia.





Ardua res *Sophia* Myſteria maxima noſſe
Primaq; ſectari nobile laudis opus.
Prima poteſt rerum *Sapientia prima* docere,
Quæ mentes acuit fertilitate ſui.
Ens primum traditum, dat *prima pathemata* nobis,
Uni cum Vero colligit, atq; *Bono*.
Multum laudis habet, partes noviffe *bonorum*,
Et *Veri* partes perdidiciſſe juvat.
Aſt omnes tranſiſſe *Boni, Veriq;* meatus,
Hic labor, hoc onus eſt! hoc *Sapientis* opus!
Nocte dieq; ſatis *Sophia* ſacraria luſtrat
LINCKIUS, & creſcit ſedulitate pia.
Poſt *Unum, Verum, atq; Bonum* conamine docto
Explicat, & partes mox dabit ipſe novas.
Perge ſacris ſtudiis celebrari, maximus olim
His meritis veniet *Sedulitatis* honos.

*Per Eximio Dno Martino Linckio Conſiſtore
ſuo dilectiſſimo boni omnis ergoſ.*

Johannes Deuſchmann
S.S.Th.L. Ejusq; P.P. Extr.

UNum cum *VERO* atq; *BONO* leve dictu,
Sed quid ſint, quivis dicere non poterit.
Excutiſ hoc doctè brevibus doctiſſime *LINCKI*
Verè de *VERO* themate vera docens.
Non te pœniteat ſtudio huic imponere curam,
Tempore meſſis enim germina lata feret!
Laudant Pierides hos laudat *LEUCORIS* auſus
Pergito, ſic Patriæ proderis atq; Tibi.

*Ita Perex. Dn. Linckis Amici, & ante hanc
ſuasèrè optimi conatibus acclamat*

M. Juſtus Andreas Otto,
Longo-Salzâ Thuring.

Omnia conſiſtunt vertuntur & omnia in *Uno*;
Unum quodq; *Bonum* eſt, nec niſi quæ *Bona, ſunt*.
Vera tamen niſi ſint, quæ ſunt, nec ſunt *Bona, nec ſunt*
Reſona; en quid ſunt? ſunt *Nihil, hœc*q; minus.

D a

Publica

Publica vox hæc est, est hæc doctissime LINCKI

Vox Tua, quam ingenii dexteritate probas.

Una est cura Tibi, mentem conjungere Vero:

Quam Bona res! Unam Te Bona Vera manent.

Gratulabundus fecit

PRÆSES,

TE Sophies studium tanto pellexit amore,
Ut studii promas signaque ritè tui.

Gratulor ex animo tibi semper gratia Jovæ

Faveat, ut ferias vertice summa poli.

Ita commensali suo dilecto gratulatur

M. Joachimus Erythræus

Bela-Ungarus.

Ad Per Eximium DN. LINCKIUM, Lubec.

Nubigenis lateat quamvis SOL aureus umbris,
Ore micat tandem splendidior tamen:

Sic prima Sophies quamvis Lux clara sub umbris

Errorum jaceat contumulata situ;

Una redonabit sese Regina micatibus,
Et omni radij liberiore fluant.

Nemo sacros (si vera loquar) penetrabit ad hortos,

Ni referet clausas hæc sibi Virgo fores.

Quam prudenter opus, O Præstantissime LINCKI,
Aggrediaris, ait docta pagella palam.

Entis naturam quod transcendentia nexu

Ipsa probent triplici congeminata, doces.

Non aliud tantis Tuus addere gaudet AMICUS

Ausibus, inde metas quam bona docta precor.

Ut Patriæ columen, seniq; corona paterni,

Et sis Philosophus Theologusq; bonus.

ἀντιβδελωτός

ADAM SELLIUS, Fr. March.

S. S. Th. Stud.

F I N I S.





ULB Halle

3


006 691 749



VD 17







6

JESU BONE FAVE!
DISPUTATIO METAPHYSICA
SEXTA,
SUMMARIAM DECISIONEM
CONTROVERSIARUM
DE
Uno, Vero & Bono,
Occurrentium,
Exhibens,
'quam
In florentissimâ Leucoréa
Sub PRÆSIDIO
M. JOHANNIS BAYERI, Epe-
riesino Hungari,
Publicæ Philosophantium limæ
submittit
MARTINUS LINCKIUS,
Lubecensis,
In Auditorio Majori
Ad diem 27. Octob. horis Pomeridianis,
ANNO M DC LVIII.

Typis MICHAELIS Wende.